

gnationem, me denique ipsum excruciet, ut merui: dum vos salvum, dum vos incolumem^b amplector et teneo, omnia mihi salva, omnia sunt mihi leta. Tu enim, domne dilectissime et vita quondam dulci longe longeque dulcior, tu inquam in his miseriis singulare solatium, tu unicum es remedium. Vite animęque vestre superna pietas secundum magnam misericordiam tuam prospiciat.

22.

M(einhard) an N: hofft auf eine Fortsetzung ihrer Gespräche über die Eitelkeit und bittet ihn, sich vom Bischof (Gunther) zu trennen und aus Kärnten heimzukehren.

(1063 Herbst.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 54.

Unice dilecto N. suo M. se.

Et rogasse et promississe me memini, ut si tempus annueret, aliquo litterario munere te impertirem. Gratum mihi omnino negotium; sic enim hoc tuum interpretor desiderium te, qui me unicis modis amas, litteras meas ut arram mei a me ipso expostulare. Sed dum mecum deliberarem, quonam scribendi argumento uterer, occurrit mihi collatio nostra, quę proxime inter nos deambulando more peripatetico habita est: dico de vanitate, quidnam esset et quot modis intelligenda. Verum dum rem animo prius quam stilo experiri et informare vellem, estu quodam rationum^a sic e vado propositi in altum eiectus sum, ut tantos fluctus epistolaris brevitatis non sufferret. Tum ego, ut qui magarum rerum insomniis luduntur, experrectus sum tanteque rei nisi multo in liberoque ocio indulgendum non censui. Quodsi te ipsum prius mihi reddideris quam tantarum rerum notiones in animo evanescant, totam hanc copiam tibi exponam, ut tibi potissimum iudicium ususque horum omnium offeratur. Quare oro te et obsecro, ut de illo execrabili averno Carinthie te eximas atque in hanc lucem morum hominumque redeas. Nam ut ad fabulas redeam: domnus meus ipse sibi legem penamque Proserpine videtur indixisse. Nescio enim quid apud hos inferos videtur gustasse, ut, quę illius conditio erat, sex menses in Carinthia,

21. ^b) incolumen c.

22. ^a) ronum c.